



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 17. Canonistæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

Ium ejus est, & suavi quadam necessitate nos inducit, ut conservemus vitam, & vires reficiamus. Imitemur SS. Basiliū & Augustinū, qui cogitationum solidæ subtilitati amænas expressiones, ac delicatos dicendi modos sociant; qui non quæstiones frivolas & pueriles, sed oppositiones ab hæreticis suorum temporum re ipsa factas nobis proponunt; qui non dubiis & opinionibus, sed veritatibus certis nos paciunt; qui doctrinæ in materiis etiam abstractissimis unctionem conjungunt. En viæ duces, quos sequatur Theologus!

XVII.  
Canonistæ.

Canonistæ saeculi XIII eandem cum Theologis methodum, eundem stylum tenuere: minus tamen traditionem doctrinæ pro fundamento conservarunt, disciplinam non esse tam immutabilem, quam fidem, ut verum est, persuasum sibi habentes. Dissertatione priore detexi radices hujus mutationis, authoritatem nempe falsarum Decretalium, omnium-

omniumque Gratiani collectionum;  
& opinionem, quod Summus Pontifex sit, supra Canones, ac potestas ejus nullis cancellis circumscripta sit. Ex eo tempore magis magisque a regulis antiquitatis discessum est, quarum ne cognitio quidem quærebatur: Canonici jurisprudentia facta est arbitraria, & quod consequitur, incerta per nimiam constitutionum novarum prioribus vim derogantium multitudinem, ac denique per solutiones ab illis legibus, quas antiquare in religionem vertebatur. Doctores Decretum Gratiani ac Decretales Gregorii IX in scholis explicare soliti, earum interpretationes seu Glossas fecerunt, quarum celebritas quidem, non item utilitas magna est nisi forsan ex eo, quod capita & locos inter se convenientes satis bene indicent. At hi interpres difficilia antiquorum Canonum verba non exponunt, nec ipsimet intelligebant; & constitutionum causas occasionesque historicas vix unquam referunt. Illud, quod vocant

E 5           earum

earum casum ponere, nihil est aliud,  
quam in margine propria loci nomi-

*Gloss. in c. I.* nati verba scribere. Quandoque  
*de Sum. Tr.* eruditio[n]is suæ ostendandæ gratia e-  
tymologias afferunt, verum s[ecundu]m s[ecundu]m ri-  
diculas, qualis illa est vocis *Diabolus*  
in principio Decretalium. Præci-  
puus illorum labor est e loci verbis  
complexiones & consequentias duce-  
re alii materiæ applicandas, plerum-  
que ad stabiliendam callidam litium  
artem.

*I. Confid. c. 9.*

*Hist. lib.*

*LXIX.*

*S. 45.*

Hic enim spiritus erat, qui  
tum regnabat. Vide querimonias  
S. Bernardi de causarum patronis in  
Curia Romana, & ex hac de aliis  
tribunalibus judica! Vide magni Con-  
cilii Lateranensis, ac præsertim pri-  
mi Concilii Lugdunensis Canones:  
& intelliges, quo usque tunc pro-  
cesserit subtilitas advocatorum, ut  
cunctas eluderent leges, earumque  
speciem iniquitati obtenderent: hoc  
est, quod spiritum subdolarum lit-  
gandi artium voco. Porro advoca-  
ti & procuratores forenses, in qui-  
bus

bus ille spiritus dominabatur, erant Clerici: hi soli tunc Canonici & Civilis Juris prudentiae, velut etiam arti medicæ, aliisque facultatibus operam dabant. Monachis quidem, non autem Clericis a religiosa lege liberis sive sacerdotalibus vetitum erat, ne illas publice profiterentur. Si sola vanitas, & aliis antecellendi studium philosophis, theologisque tot malas subtilitates sugges- sit, ut nullum disputandi finem facerent, & nunquam victas manus darent: quanto fortius aviditas lucri advocatos eo stimulabat! & quid dicam de tali Clero? Spiritus Evangelii merus est candor, mera sinceritas, charitas & agendi ratio ab omni cupiditate aliena. Multum aberat, ut harum virtutum tam expertes Clerici alios eas docerent.

Episcopi aliquique Superiores bonum commune unice spectantes, & in iisdem scholis eruditи his malis mederi non satis sciebant; ut vide-  
mus in eorum constitutionibus, quae maxi-

maxima ex parte ad ordinanda singula faciendorum capita , & ad levanda incommoda peculiaria tendunt, sed radicem mali non tollunt. Debebat ædificium a fundamentis redintegrari, & novus institui Clerus, e litteratorum optimis quibusque, ut olim, electus, per longa experientia examinatus, & ad sacrum ministerium ex sola meritorum consideratione elevatus. Vide illa, quæ hac de re dixi Dissertatione secunda. Absque his providis cautionibus sapientissimæ leges in contemptum veniunt, & , quod consequens est, nullum pariunt emolumentum. Sed ad formandum talem Clerum oportuisset Episcopos nec privatis suis servire commodis, nec suis propinquis ad sacras dignitates promovendis studere, & Principum eas filiis suis in familiarum levamen cupientium contibus fortiter obfistere. Saltem disciplinam veterem cognoscere convenisset : sed libri eam continentes non legebantur amplius.

## §. 6.

Ergo